

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Cobabus

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Michael Cobabus, S.S. Th. D.  
& Mathem. P. P. ad Exequias Quas Daniel Friderico Hegenwaldo, Infantulo  
mellitissimo, filiolo suo desideratissimo, paratas & expeditas cupiunt,  
Moestissimi parentes. Omnes Academiae Cives ... officiose invitat ...**

Rostochi[i]: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770973949>

Druck    Freier  Zugang



Cobabus, M.,

in D. F. Hegenwald.

Rost. 1659.

4.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770973949/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770973949/phys_0004)

DFG

PROGRAMMA  
Que  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**MICHAEL COBABUS,**  
S.S. Th. D. & Mathem. P.P.

ad  
Exequias  
Quas

**DANIELI FRIDERICO HEGENVVALDO,**



mellitissimo, filio suo de-  
sideratissimo,

Paratas & expeditas  
cupiunt,

Mœstissimi parentes.

Omnes Academiæ Cives amanter, &  
officiosè invitati.

Conventus fiet in templo Mariano ad horam  
medianam primam.



*ROSTOCHI,*

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.  
Anno M. DC. LIX;



Uòd mors corporis sit vita tem-  
poralis privatio , vel animæ &  
corporis solutio, quâ tabernacu-  
lum terrenæ hujus domus dis-  
solvitur, & mortales omnes na-  
turæ debitum persolvere , atq; è  
cœtu viventium exire coguntur, nemo est, qui  
ignorat : Unusquisq; cum Poëta ait:

*Omnes una manet nox,*

*Et calcanda semel via lethi.*

*Mista senum & juvenum deflentur funera: nullum*  
*Sæva caput Proserpina fugit.*

Nascuntur homines, vivunt, & juxta legem eos-  
micam moriuntur : aliis morientibus, alii na-  
scuntur, ut idem temporis momentum huic au-  
spicium adferat vita, illi necis, Sicuti stellæ quæ-  
dam, quâ hora supra Horizontem emergunt,  
eodem temporis articulo aliæ ex adverso se sub-  
eundem demittunt, quem ortum & occasum,  
quantitatem motuum cœlestium scrutantes, atq;  
sidera cœlestia studiosè contemplantes, nuncu-  
pant.

pant cosmicum sive mundanum. Quod verò  
mors corporis de vitæ tramite deflectentibus sit  
pœna, & æternæ mortis principium ; Christum  
verò sequentibus sit materia agonis, & victoriarum,  
translatio ad statum beatum, ad ædificium, quod  
est ex Deo, & domicilium non manufactum &  
præparatum, sed æternum in Cælo, sola Christi  
Ecclesia novit. Huic soli cognita est vita gratiarum,  
quæ mortem hanc præcedit, & vita gloriæ, quæ  
mortem hanc sequitur. Duas vitas, præclarè ait  
Augustinus, sibi divinitus prædicatas & com-  
mendatas novit Ecclesia, quarum una est in fide,  
altera in specie ; una in tempore peregrinatio-  
nis, altera in æternitate mansionis ; una in labo-  
re, altera in requie ; una in via, altera in patria ;  
una in opere actionis, altera in mercede con-  
templationis ; una declinat à malo, & facit bo-  
num, altera nullum habet, à quo declinet, ma-  
lum, & magnum habet, quo perfruatur bonum ;  
una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat ;  
una fortis est in adversis, altera nihil sentit adver-  
si ; una carnales libidines frenat, altera spiritua-  
libus delectationibus vacat ; una est vincendi cu-  
ra sollicita, altera victoriarum pace secura ; una in  
tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentati-  
one in ipso adjutore lætatur ; una subvenit indi-  
genti, altera ibi est, ubi nullum invenit indigen-  
tem ;

gem; una aliena peccata, ut sibi sua ignoscantur,  
ignoscit, altera nec patitur, quod ignoscat, nec  
facit, quod sibi possit ignosci; una flagellatur ma-  
lis, ne extollatur in bonis, altera in tanta plenitu-  
dine gratiae caret omni malo, ut sine ulla tenta-  
tione superbiae cohæreat summo bono; una bo-  
na & mala discernit, altera, quæ sola sola bona  
sunt, invenit. Ergo una bona est, sed adhuc misera,  
altera melior & beata. Totum hic agitur usq;  
in hujus seculi finem, & illuc invenit finem; dis-  
fertur illa complenda post hujus seculi finem,  
sed in futuro seculo non habet finem. Quæ spi-  
ritualis & cœlestis vitæ contéplatio, sicuti omnes  
Christianos & fideles, quando privancut illis,  
quos in deliciis habuerunt, erigit, ita vos mœstissi-  
mos parentes invitare debebat, ut moderatè te-  
ratis scitissimi filioli vestri obitum. Eisi enim  
storgæ noturales vobis imperent, ut acerbè luge-  
atis prolis vestræ mortem subitaneam & inspera-  
tam; fas tamen est, vos perpendere, non solùm  
hominem hac lege à vobis genitum, ut esset mor-  
talis, sed filiolum vestrum infinitis malis tempe-  
stivè subtractum, & ex hujus mundi pelago sub-  
vectum in portum cœlestem, & in securam ac  
æternam tranquillitatem. Ante mortem ipse  
factus est nova creatura per lavacrum regene-  
ratio-

rationis, & Christo insertus, ultra limites vitæ  
naturalis, in altiorem & longè præcellentio-  
rem vitæ gradum translatus & elevatus, viro  
jam non amplius ego, aiebat, sed vivit in me  
Christus, per vitam cum Christo absconditam  
in DEO. Post mortem permisus Angelorum,  
animarumq; beatarum coronæ, fruitur conspe-  
ctu Dei, stat ante thronum agni cum innume-  
rabilibus turbis ex omnibus tribubus & genti-  
bus collectis, amictus stola albâ & palmas ma-  
nu gestans. Vivit nunc vester filiolus, ubitan-  
ta est pulchritudo justiciæ, tanta jucunditas  
lucis æternæ, ut, et si non liceret in ea ampli-  
us manere, quam unius diem morâ, propter hoc  
solum innumerabiles hujus vitæ anni pleni de-  
litiis, & circumfluentia temporalium bonorum  
rectè meritoq; contemnetentur: non enim falso  
aut pravo affectu dictum est; quia melior est  
unus dies iuvenis tuis, quam alias mille. Cœ-  
terum, quæ ipse Parens, non sine mærore &  
lacrymis de filio suo recens nato nobis refert  
& scribit, hoc loco apponimus: Filiolus meus  
natus minimus, DANIEL FRIDERICUS dictus,  
natus est hoc instanti anno, die 10. Martii, horâ  
nonâ pomeridianâ, & vix quatuor hebdomadas  
egressus (an papulis, an epilepsia ipse met dubius  
hæc)

hæreο) morbo aliquot ante dies correptus fuit,  
eoq; ingravescere præterito die saturni, qui erat  
dies nonus Aprilis, horā duodecimā meridianā,  
inter lacrymas & suspiria nostra vitam cum mor-  
te commutavit, placideq; animum exhalavit.  
Prognatus itaque est hic infantulus Patre Domi-  
no GEORGIO HEGENWALDO, J.U. Docto-  
re, & Dicasterii Sternbergensis Advocato dignis-  
simō; Matre verò MARGARETHA Volten/  
fœminā lectissimā. Avus paternus ei fuit Vir Spe-  
ctatissimus ac Eximius, Dominus SALOMON  
Hegenwald / Scabinatus Kniphofiensis Regio-  
monti p. m. Alsessor gravissimus, Avia DORO-  
THEA von Weinberin / Viri Amplissimi ac Con-  
sultissimi, Dn. GEORGII à Weinbern / Consulis  
Palæopolitani, apud Regiomontanos in Borus-  
sia gravissimi, ac G E R T R U D I S ex nobili  
KLEINOVIANA familia oriundæ, neptis.  
Avum maternum habuit Virum Spectatissi-  
mum & Prudentissimum, DN. JOHANNEM  
Volten / Senatorē hujus Urbis benemeritū;  
Aviam maternam MARGARETAM Martens/  
fœminam virtutum marronalium claritate spe-  
ctabilem. Proavus Paternus ipsi fuit CASPA-  
RUS Hegenwald / Mercator, dum adhuc inter  
mortales vitam agebat, Regiomonti primarius:  
Proavus maternus JOACHIMUS Volte/ Civis  
& Cere-

& Cerevisiarius b. m. non postremus: Proavia  
paterna S Y B I L L A Elers/ex antiquissimorum  
Borussorum prosapia Eiersen originem trahens,  
Abavum paternum habuit Virum Reverendum  
& Clarissimum, Dominum EBERHARDUM  
Hegenwald/ auctorem cantilenæ istius: Erbarm  
dich meiner O H E R R G o t t / &c. quā utuntur & eri-  
gunrur afflitti & pœnitentes. Ex hisce Parenti-  
bus filiolus defunctus in hanc lucem editus est.  
Quem verò D E U S Parentibus dederat uten-  
dum, nunc ad se repetivit. Flosculus adhuc  
erat: fructus autem ferre & gaudium Parentibus  
parere potuisset, si diutius hic vixisset, & ad æta-  
tis maturitatem pervenisset. Nos hujus alio-  
rumq; exemplo moniti mori semper discamus,  
ut assiduâ mortis assuetatione mortis metum  
vincamus per Dominum nostrum J E S U M  
C H R I S T U M. Sic unusquisque intrepido  
animo exspectabit mortem, & cum Theologo  
atque Poëta dicet:

*Cur metuam mortem? mors non est, mortis  
imago est;*

*Nam merito nitor, maxime Christe, tuo.*

*Vermis adhuc spiro moriturus forte sub horam,  
Mors etenim certa est, funeris hora latet.*

*Ergo*

*Ergo gnate Dei, tibi me jam trado Redemptor:  
Vivam sem moriar, sanguine vivo tuo.*

A nobis tandem CIVES ACADEMICI, haut im-  
meritò desideratur, ut exequias hujus flosculi  
præsentia nostrâ frequentes ornenius, illudq; fa-  
ciamus, quod ad mœstissimorum parentum  
consolationem conducere arbitrati fuerimus.  
Quod ut singuli faciant, & ad funus hoc dedu-  
cendum in templo Mariano hodie dimidiâ pri-  
mâ sese sistant, & convenient, suamque simul &  
utriusq; apud nos Reipublicæ salutem supremo  
Domino commendent officiosè seduloq; rogo  
&hortor. Postulat hoc Pietas Christiana, hu-  
manitatis nostræ officium, aliæque causæ  
quam plurimæ.

P.P. ROSTOCHI sub Sigillo Rectoratus  
ad d. XIX. Aprilis anno recuperatae  
gratia clo loc LIX.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770973949/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770973949/phys_0016)



& Cerevisarius b. m. non postrem  
paterna S Y B I L L A Elers ex ant  
Borussorum prosapia Elesen orig  
Abavum paternum habuit Virum  
& Clarissimum, Dominum EBE  
Hegenwald/ auctorem cantilenæ i  
dich meiner O HErre Gott/ &c. quā  
guntur affliti & pœnitentes. Ex  
bus filiolus defunctus in hanc lu  
Quem verò DEUS Parentibus  
dum, nunc ad se repetivit. Fl  
erat: fructus autem ferre & gaudi  
parere potuisset, si diutiùs hic vixi  
tis maturitatem pervenisset. N  
rumq; exemplo moniti mori lem  
uit assiduâ mortis assuetatione i  
vincamus per Dominum nostrum  
CHRISTUM. Sic unusquis  
animo exspectabit mortem, &c  
atque Poëta dicet:

*Cur metuam mortem? mors  
imago est;  
Nam merito nitor, maxime  
Vermis adhuc spiro moriturus  
Mors etenim certa est, funeri*

